This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Lt
1
499

Lt 1.499

Harvard College Library

FROM THE

CONSTANTIUS FUND

Established by Professor E. A. SOPHOCLES of Harvard University for "the purchase of Greek and Latin books, (the ancient classics) or of Arabic books, or of books illustrating or explaining such Greek, Latin, or Arabic books." Will, dated 1880.)

Received 2 June, 1900.

12941

O

Cornelii Taciti

De origine ritu et moribus Germanorum.

Liber a. D. 99 scriptus.

Ex codice Stuttgartiensi

edidit

I. HOLUB.

peterem ab iis quorum in manus cura nostra venerit, ne divulgata atque incredibilia veris neque in miraculum corruptis antehabeant.

Tac. 4 11.

Freudenthal.
W. KROMMER
1899.

Gt 1.499

HARVARD COLLEGE
JUN 2 1900
LIBRARY.

Constantius fund

Omnia iura reservata.

Lectori salutem H.

Plurima scriptores et Romanos et Graecos, Pomponium Melam, Strabonem, C. Plinium Secundum, ante Cornelium Tacitum de Germania eiusque populis alia ficta pravaque alia vera narravisse satis constat. Quae Tacitus, cuius viri cura semper sit verum narrandi, hoc libello aut confirmat argumentis aut refellit (v. c. 3). — Qui potest? — Comperta*) (v. c. 9, 46) plurima habet, qui alia ipse oculis suis in Germania viderit (cf. c. 2 tristem cultu aspectuque), alia ab aliis qui coram viderant iisque veri amantissimis audierit.

Quae cum ita sint, duo genera sententiarum in hoc libello discernenda crediderim, alteras sententias Taciti ipsius, alteras alienas easque aut argumentis confirmandas aut refellendas. Earundem alienarum sententiarum alia duo genera facile discernes, aut quas theses aut quas contradictiones vocamus, quas utrasque, nisi est primum sententiae vocabulum nomen proprium, facile cognosces: est littera prima, ut saepius in codice Stuttgartiensi ipso, paucis locis exceptis grandis. — Ergo qua ratione sententiae alienae aTacito refelluntur? — Aliae alio modo, saepius ironice. Legimus: Tegumen omnibus sagum fibula aut, si desit, spina consertum (c. 17). Tacitus respondet: ceterum intecti: totos dies iuxta focum atque ignem agunt! = Germani si ceterum intecti essent, totos dies iuxta focum atque ignem agere caelo frigido cogerentur. An totos dies iuxta focum atque ignem agunt? Immo ad convivia procedunt, ad concilia proficiscuntur, venantur, bella gerunt... Num igitur tegumen illud sufficit? — Legimus (c. 16): Nullas Germanorum populis urbes habitari sat est notum. Tacitus: id est, ne parti quidem, Ubiis, inter se iunctas sedes (esse)! = Si id verum esset, nullas urbes Germanorum populis habitari, aut Ubii non essent Germani, aut domicilium eorum non esset urbs. Sunt vero Ubii Germani (c. 28), est porro colonia Agrip. urbs maxima (IV 63, 1 36).

*) Cf. Cic. Fam. V 5 3 ex multis audivi: nam comperisse me non audeo dicere. Tac. 3 19 alii quoquo modo audita pro compertis habent, alii vera in contrarium vertunt.

Iam vero si quaesieris, quo anno T. hunc librum scripserit, nos quidem **anno 99 p. Chr.** scripsisse respondebimus. Legimus enim (c. 37): DCXL annum urbs nostra agebat, cum primum Cimbrorum audita sunt arma . . . ex quo (anno) alterum (annum) imperatoris Traiani constitutum computemus:*) ducenti ferme nunc**) et decem anni colliguntur. Primus annus imper. Traiani fuit annus 98 p. Chr.

Vir quidam doctus, qui in versu uno tria vocabula tradita omittenda existimaverit, litteras traditas a me licentius mutatas pronuntiavit. Lectites ipse, lector amice: litteras codicis Stuttgartiensis (= S), omnium codicum, quibus Germania Taciti continetur, sane optimi,***) a me quam religiosissime servatas esse dices. Quid? si alter pro ‚opinionibus', pro ‚maroboditani', pro ‚mammenerthum', pro ‚miretur' quae tradita sunt, ‚opinioni', ‚Marobodui', ‚in commune Nerthum', ‚mireris' legit, alter ‚opinioni in omnibus' ‚Marobodui tyranni', ‚Manni matrem Nerthum', ‚numeretur' legenda esse putavit, uter litteras traditas servavit? Sunt cum in codicibus aliis, tum in Stuttgartiensi sigla, sunt litterae inter se permutatae (cet, li, nuv, oa, ad . . . intectos = intec tos = intectos totos, conditorios = condit orios = conditae oriundos, in = inde, opinionibus = opi m ombus = opinioni in omnibus, res p = res publica . . .). Hic addam hoc maius unum exemplum. S (c. 2): ‚Celebrat carmibus antiquis qd unu aput illos meorie et annaliu genus est tuiscone deum terra celitu (corr. editu) et (superscr. ei) filium manu origine gentis conditoriosq; fuisse. Manno tres filios assignant e quoru nomibus proximi occeano Ingaenones medii herminones ceteri istaenones vocentur. Quidam ut licentia uetustatis plures deo ortos pluresq; gentis appellatores marsossi gambrios sueuos wandilios affirmat eaq; uera et antiqua noia Ceteru germanie uocabulu recens et nuper additu qui qui pmu (corr. primi) rhenu transgressi gallos expulerint ac nuc tinigri tunc germani uocati sut ita naconis nome non gentis (gen in rasura) coaluisse paulati ut

*) computare, constituere sunt termini technici mathematicorum.

**) S ferime = fer nuc.

*** Cf. Pg. Videnav. 1893, 1894, 1895, 1898 (m. m.).

omes pmu a uicto re ob metu mox et a seipis ivento noie germani vocarentur'.

Hoc libello edito irritae factae sunt et nonnullae harum sententiarum, quas programmatibus c. r. gymnasii Videnaviensis a. 1893, 1894, 1895, 1898 defendendas putaveram, et pars ‚Germaniae' proximo anno superiore edita. Illud et indictum intellegitur. — Ergo cur dixisti? — Quoniam Zernial commentationem quandam a. 1891 a me editam et 1894 revocatam a. 1898 sibi recensendam reprehendendamque putavit. Quod idem vir doctissimus pronuntiavit sese optare, ne textus ‚Germaniae' a me commendatus probaretur, id non neglegendum esset, si pro ‚sese optare' ‚veritatem postulare' dixisset. *Κρῖν' αὐτὸς μαθών.* Quod porro idem vir doctissimus me, ut illum inf. ‚**audiri**' (c. 7), qui ante annum 1893 semper et ubique frustra defensus erat, ego non frustra defendere quirem, pro voc. ‚unde' bis tradito bis ‚unum' scripsisse dixit, lege, quaeso, lector veritatis amantissime, codicem Stut.: leges (c. 7.): ‚unu femiaru ullulatus audiri unu fagitus infantiu'. Quod denique idem Taciti Germaniae interpres ‚Germaniam' dialogum esse negavit — neque enim suave esse id cogitare — nos quidem Lucretium poetam IV 660 ‚quod suave est aliis, aliis fit amarum' dicentem laudamus.

Quod si, lector benevole, partem orationis aliquam a me commendatam non probaveris, aliam, quaeso, proponas. Tu non in personam, in rem dices sententiam: equidem meliorem cognitam confestim habebo potiorem. Vale.



Cornelii Taciti
De origine ritu et moribus Germanorum.

1 Germania omnis a Gallis Raetis et Pannoniis Rheno et Danubio fluminibus, a Sarmatis Dacisque mutuo metu aut montibus separatur. — Cetera Oceanus ambit latos sinus et insularum immensa spatia complectens. — num percognitis quibusdam gentibus et regionibus, quas bellum aperuit? — Rhenus Raeticarum Alpium inaccesso ac praecipiti vertice ortus modico flexu in occidentem versus. — septentrionali Oceano miscetur. — Danubius molli et clementer edito montis Abnobae iugo effusus plures populos adit, donec in Ponticum mare sex meatibus erumpat. — septimum os paludibus hauritur.

2 ipsos Germanos indigenas crediderim minimeque aliarum gentium adventibus et hospitiis mixtos, quia nec terra olim sed classibus advehebantur, qui mutare sedes quaerebant, et inviae usibus ultra aquae, ut sic dixerim, adversus Oceanus raris ab urbe nostra navibus aditur. quis porro praeter periculum horridi et ignoti maris Asia aut Africa aut Italia relicta Germaniam peteret, informem terris, asperam caelo, tristem cultu aspectuque, nisi his ibi patria sit? — Celebrant carminibus antiquis, quod unum apud illos memoriae et annalium genus constantius, communem deum: terra editum ei filium Mannum originem gentis conditae oriundosque fuisse. Manno tres filios assignant, e quorum nominibus proximi Oceano Ingaevones, medii Herminones, ceteri Istaevones vocentur. quidam aiunt licentia vetustatis plures deo ortos pluresque gentis apparere unius auctores: inde orsos Sygambros Suevos Vandilios affirmant: eaque vera et antiqua nomina: ceterum

Germaniae vocabulum recens et insuper additum: quoniam qui primum Rhenum transgressi Gallos expulerint ac numeri ceteri integri tunc germani vocati, sumptum ita nationis nomen novum; gerentis coaluisse paulatim, ut omnes primum auctore incerto re ob matrem communem, mox et a se ipsis invento nomine germani vocarentur.
3 fuisse apud eos et Herculem memoratur, primumque omnium virorum fortium ituri in proelia canunt. sunt illis haec quoque carmina, quorum relatu, quem bar dicunt voce antiqua, accendunt animos. futuraeque pugnae fortunam ipsi cantu augurantur. — terrent trepidantve, prout sonuit acies, nec tam voces illae quam vires: truces concentus videntur: affectatur praecipue asperitas soni et fractum murmur obiectis ad os scutis, quo plenior et gravior vox repercussa intumescat. ceterum et Ulixen quidam opinantur longo illo et fabuloso errore in hunc Oceanum delatum adisse Germaniae terras, Asciburgiumque, quod in ripa Rheni situm hodieque incolitur, ab illo constitutum nominatumque: aram quin etiam Ulixi consecratam adiecto Laertae patris nomine eodem loco olim repertam, monumentaque et tumulos quosdam Graecis litteris inscriptis in confinio Germaniae Raetiaeque adhuc extare, quae neque confirmare argumentis neque refellere in animo est: ex
4 ingenio suo quisque demat vel addat fidem. ipse eorum opinioni in omnibus accedo, qui Germaniae populos nullis aliis aliarum nationum conubiis infectos propriam et sinceram et tantum sui similem gentem unam extitisse arbitrantur. tum:

Habitus quoque corporum quamquam in tot hominum numero idem: omnibus truces et caerulei oculi, rutilae comae, magna corpora. — et tantum ad impetum valida. — Laboris atque operum non eadem patientia. — minime queunt sitim aestumque tolerare, frigora atque inediam caelo
5 solove assueverunt. — Terra enim aliquanto specie differt.

— in universum tamen aut silvis horrida aut paludibus foeda, umidior qua Gallias, ventosior qua Noricum ac Pannoniam aspicit. satis ferax, frugiferarum arborum impatiens. pecorum fecunda, sed plerumpue improcera. ne armentis quidem suus honor aut gloria frontis. numero gaudent. — Eaeque solae et gratissimae opes sunt! — argentum et aurum propitiine an irati dii negaverint, dubito (tamen non affirmaverim nullam Germaniae venam argentum aurumve gignere; quis enim scrutatus est?): possessione et usu haud perinde afficiuntur. — Est videre apud illos argentea vasa! — legatis et principibus eorum muneri data. non in alia aviditate quam quae humo finguntur. quamquam proximi ob usum commerciorum aurum et argentum in pretio habent formasque quasdam nostrae pecuniae agnoscunt atque eligunt. — Interiores simplicius et antiquius permutatione mercium utuntur! pecuniam probant veterem et diu notam, serratos bigatosque. argentum quoque magis quam aurum sequuntur. — nulla affectione animi, sed quia numerus argenteorum facilior usui est promiscua ac vilia mercantibus.

6 ne ferrum quidem superest, sicut ex genere telorum colligitur. rari gladiis aut maioribus lanceis utuntur. hastas vel ipsorum vocabulo frameas gerunt angusto et brevi ferro, sed ita acri et ad usum habili, ut eodem telo, prout non una ratio poscit, vel comminus vel eminus pugnent. — Et eques quidem scuto frameaque contentus est, pedites et missilia spargunt. — pluraque singuli atque in immensum vibrant. — Nudi aut sagulati leves. nulla cultus iactatio. — scuta tantum lectissimis coloribus distinguunt. paucis loricae, vix uni alterive cassis aut galea est. — Equi non forma, non velocitate conspicui. — foedi, nec variare gyros in morem nostrum docentur: in rectum aut uno fluxu derectos agunt ita cuneato orbe, ut nemo posterior sit in universum aestimanti. — Plus penes peditem roboris,

eoque mixti proeliantur apta et congruente ad equestrem 15
pugnam velocitate peditum. — quos ex omni iuventute
delectos ante aciem locant. — Diffinitur et numerus:
centeni ex singulis pagis sunt idque ipsum inter suos
vocantur. — et quod primum numerus fuit, iam nomen
et honor est. — Acies per cuneos componunt. — cedere 20
loco, dummodo rursus instes, consilii, numquam formidinis
arbitrantur. — Corpora suorum etiam in dubiis proeliis
referunt. — si tutum. — Scutum reliquisse praecipuum
flagitium, nec autem sacris adesse nec concilium inire
ignominioso fas. — multique superstites bellorum in- 25
7 famiam laqueo finierunt. — Reges ex nobilitate, duces ex
virtute sumunt. — nec regibus infinita aut libera potestas,
et duces exemplo potius quam imperio, si prompti, si
perspicui, si ante aciem agant, admiratione praesunt. —
Ceterum neque animadvertere neque vincire, ne verberare 5
quidem nisi sacerdotibus commissum, non quasi in poenam nec ducis iussu, sed velut deo imperante, quoniam
adesse re bellantibus credunt. — effigiesque et signa
quaedam detracta lucis in proelium ferunt! quodque
praecipuum fortitudinis incitamentum est, non casus nec 10
fortuita conglobatio turmam aut cuneum facit, sed familiae
et propinquitates. — Et in proximo pignora. — unum,
feminarum ululatus audiri, unum, vagitus infantium! —
Ii cuique sanctissimi testes, ii maximi laudatores. — ad
matres, ad coniuges vulnera ferunt! — Nec illae immeare 15
et erigere phalangas pavent. — alimentaque et hortamina
8 pugnantibus gestant!! — Memoriae proditur quasdam
acies inclinatas iam et labantes a feminis restitutas constantia precum et obiectu pectorum. — et instante comminus captivitate! — quam longe impatientius feminarum
suarum nomine timent. — adeo, ut efficacius obligentur 5
animi civitatum, quibus inter obsides puellae quoque nobiles
imperantur! — Inesse quin etiam sanctum, divinum aliud

et providum, putant. — nec consilia deorum aspernantur aut responsa neglegunt! — Vidimus sub divo Vespasiano Veledam diu apud plerosque numinis loco habitam. — sed et olim Auriniam et complures alias venerati sunt, non
9 adulatione nec tamquam facerent deas. deorum maxime Mercurium colunt, cui certis diebus humanis quoque hostiis litare fas habent. Herculem ac Martem contra caesis solis animalibus placant. — Pars Suevorum et Isidi sacrificat. — unde causa et origo peregrino sacro, parum comperi, nisi quod signum ipsum in modum liburnae figuratum hanc docet advectam religionem. ceterum nec cohibere parietibus deos neque in ullam humani oris speciem assimulare ex magnitudine caelestium arbitrantur. lucos ac nemora consecrant deorumque nominibus appellant. — Secretum
10 illud. — quod sola reverentia vident. auspicia sortesque, ut qui maxime, observant. sortium consuetudo simplex. virgam frugiferae arbori decisam in surculos amputant eosque notis quibusdam discretos super candidam vestem temere ac fortuito conspergunt; mox, si publice consilium detur, sacerdos civitatis, sin privatim, ipse pater familiae precatus deos caelumque suspiciens ter singulos tollit, sublatos secundum impressam ante notam interpretatur. si prohibuerunt, nulla de eadem re in eundem diem consultatio; sin permissum, auspiciorum adhuc fides exigitur. et illud quidem etiam hic notum, avium voces volatusque interrogare: proprium gentis equorum quoque praesagia ac monitus experiri. publice aluntur isdem nemoribus ac lucis. candidi et nullo mortali opere contacti, si quos pressos sacro curru sacerdos ac rex vel princeps civitatis comitantur hinnitusque ac fremitus observant. nec ullo auspicio maior honor. — Solum apud plebem, apud proceres. — apud sacerdotes; se enim ministros deorum, illos conscios putant. — Est et aliud genus. — alia observatio auspiciorum, qua gravium bellorum eventus explorant. eius gentis, cum qua bellum est, captivum quoquo

modo interceptum cum electo popularium suorum, patriis quemque armis, committunt. victoria huius vel illius pro praeiudicio accipitur.

11 De minoribus rebus principes consultant, de maioribus omnes. — ita tamen, ut ea quoque, quorum penes plebem arbitrium est, apud principes pertractentur. — Coeunt, nisi quid fortuitum et subitum incidit, certis diebus, cum aut incohatur luna aut impletur; nam agendis rebus hoc auspicatissimum indici initium credunt. — nec dierum numerum, ut nos, sed noctium computant. sic constituunt, sic condicunt; nox elicere diem videtur. — Illud ex libertate vitium, quod non simul nec ut iussi conveniunt, sed et alter et tertius dies cunctatione coeuntium absumitur. — ut turbae placuit, considunt armati. — Silentium per sacerdotes, quibus tum et coercendi ius est, imperatur. mox rex vel princeps, prout aetas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia est, audiuntur. — auctoritate suadendi magis quam iubendi potestate. — Si displicuit sententia, fremitu aspernantur, sin placuit, frameas concutiunt. — honoratissimum assensus genus est armis
12 laudare. — Licet apud concilium accusare quoque et discrimen capitis intendere. distinctio poenarum ex delicto: proditores et transfugas arboribus suspendunt, ignavos et imbelli secto corpore informes caeno ac palude iniecta insuper gravitate mergunt. — diversitas supplicii illuc respicit, tamquam scelera ostendi oporteat, dum puniuntur, flagitia abscondi. — Sed et levioribus delictis populi Romani modus poenarum: equorum pecorumque numero convicti multantur. — pars multae regi vel civitati, pars ipsi, qui vindicatur, vel propinquis eius exsolvitur. — Eliguntur in iisdem conciliis et principes, qui iura per pagos vicosque reddunt. ‚centeni' singulis ex plebibus comites. — consilium. simul
13 et auctoritas adsunt. nihil autem neque publicae neque privatae rei nisi armati agunt. sed arma sumere non ante

cuiquam moris, quam civitas suffecturum probaverat. tum in ipso concilio vel principum aliquis vel pater vel propinquitas scuto frameaque iuvenem ornant. haec apud illos toga, hic primus iuventae honos. ante hoc domus pars videntur, mox rei publicae. — Insignis nobilitas aut magna patrum merita principis dignationem etiam adulescentulis assignant. — ceteris robustioribus ac iam pridem probatis aggregantur nec robore inter comites aspiciuntur. — Gradus quoque ipse comitatus habet iudicio eius, quem sectantur. — magnaque et comitum aemulatio, quibus primus apud principem suum locus, et principum, cui plurimi et acerrimi comites. haec dignitas, hae vires. — Magno semper electorum iuvenum globo circumdari in pace decus nec bello praesidium. — nec solum in sua gente cuique sed apud finitimas quoque civitates id nomen, ea gloria est, si numero ac virtute comitatus emineat; expetuntur enim legationibus et muneribus ornantur, et ipsa
14 plerumque fama bella profligant. cum ventum in aciem, turpe principi virtute vinci, turpe comitatui virtutem principis non adaequare; iam vero infame in omnem vitam ac probrosum superstitem principi suo ex acie recessisse. illum defendere, tueri, sua quoque fortia facta gloriae eius assignare praecipuum sacramentum est. principes pro victoria pugnant, comites pro principe. — Si civitas, in qua orti sunt, longa pace et otio torpeat, plerique nobilium adulescentium petunt ultro eas nationes, quae tum bellum aliquod gerunt. — quia et ingrata genti quies et facilius inter ancipitia clarescunt. magnumque comitatum non nisi vi belloque tueare. — Exigunt enim principes sumi liberalitate illum bellatorem equum, illam cruentam victricemque frameam! — nam epulae et quamquam incompti largi tamen apparatus pro stipendio cedunt. materia munificentiae per bella et raptus. — Nec arare terram aut expectare annum tam facile persuaseris quam vocare hostem

et vulnera mereri! — pigrum quin immo et iners videtur
15 sudore adquirere, quod possis sanguine parare. — Quoniam, quotiens bella non ineunt, non multum horarum artibus, plus per otium transigunt dediti somno ciboque! — — fortissimus quisque ac bellicosissimus nihil agens delegata domus, et penetralium et agrorum, cura feminis senibusque et infirmissimo cuique ex familia, ipsi hebent mira diversitate naturae, cum iidem homines sic ament inertiam et oderint quietem. — Mos est civitatibus ultro ac viritim conferre principibus vel armentorum vel frugum. — quod pro honore acceptum etiam necessitatibus subvenit. — Gaudent praecipue finitimarum gentium donis, quae non modo a singulis sed et publice mittuntur: electi equi, magna arma, phalerae torquesque. — iam et pecuniam accipere docuimus.

16 Nullas Germanorum populis urbes habitari sat est notum. — id est, ne parti quidem, Ubiis, inter se iunctas sedes! — Colunt discreti ac diversi, ut fons, ut campus, ut nemus placuit. — vicos locant, non in nostrum morem conexis et cohaerentibus aedificiis. — Nam quisque domum spatio circumdat. — sive adversus casus ignis remedium sive inscientia aedificandi. — Ne caementorum quidem apud illos aut tegulorum usus: materia ad omnia utuntur informi et citra speciem aut delectationem. — quaedam loca diligentius illiniunt terra ita pura ac splendente, ut picturam ac liniamenta contrariorum imitetur. — Solent et subterraneos specus aperire. — eosque multo insuper fimo onerant, suffugium hieme id et receptaculum frugibus, quia rigorem frigorum eius modi loricis molliunt et, si quando hostis advenit aperta populans, abdita ante et defossa aut ignorantur aut eo ipso fallunt, quod quaerenda sunt.

17 Tegumen omnibus sagum, fibula aut, si desit, spina consertum. — ceterum intecti: totos dies iuxta focum atque ignem agunt! — Locupletissimi veste: distinguuntur non

IV Caelaturae col

(Cf. O. Henne a. Rhyn, K. d.

I.

II.

IV.

I. Germani cum Germanis, qui Romanorum esse videntur sagittarii auxiliares, liberique a militibus Rom. in servit. abducuntur. — IV. Exitus pugnae cuius incendunt, alii armenta abigunt, alii viros et mulieres in servit. abducunt. equos subi

Cf. Tac. G 5 6.

Aurelii Antonini.

rote 1886 p. 15, 17, 21, 50.)

III.

telisque contendunt. — II. Concilium Germanorum. — III. Germ. mulieres Aliquot Germani adhuc cum Rom. pugnant. Alii Romani casas Germanorum mulieribus una caput corona ornatum habet. Nonnulli Germani corporibus in fugiunt.

. 9. 23, 11, 17.

fluitante, sicut Sarmatae et Parthi, sed stricta. — et singulos artus exprimente. — Gerunt et ferarum pelles, 5
proximi ripae neglegenter, ulteriores exquisitius, ut quibus nullus per commercia cultus: eligunt feras et detracta velamina, si parva, gerunt magna cum lascivia. — pellibusque beluarum, quas exterior Oceanus atque incognitum mare gignit. — Nec alius feminis quam viris habitus, nisi quod feminae 10
saepius lineis amictibus velantur eosque purpura variant. — partemque vestitus superioris in manicas non extendunt, ut nudent brachia ac lacertos. sed et proxima pars pectoris
18 patet. quamquam severa illic matrimonia, nec ullam morum partem magis laudarim. — Nam prope soli barbarorum singulis uxoribus contenti sunt! — exceptis admodum paucis, qui non libidine, sed ob nobilitatem plus unis nuptiis ambiuntur. — Dotem! nox: uxor marito! sed uxori 5
maritus offert. intersunt parentes ac propinqui. — ac munera probant, munera, non ad cultus muliebres quaesita nec quibus nova nupta obruatur, sed boves et frenatum equum et scutum cum framea gladioque. in haec munera uxor accipitur atque invicem armorum ipsa aliquid viro 10
affert. hoc maximum vinculum, haec arcana sacra, hos coniugales deos arbitrantur. — Ne se mulier extra virtutum cogitationes extraque bellorum casus putet, ipsis incipientibus matrimonii auspiciis admonetur venire se laborum periculorumque sociam, idem in pace, idem in proelio 15
passuram ausuramque. — haec iuncti boves, haec paratus equus, haec data arma denuntiant; sic vinculum unum, sic periculum unum, accipere, quae servet liberis inviolata ac digna reddat, quae nurus accipiant, ut rursum usque
19 ad nepotes inferantur. inde saepta pudicitia agunt nullis spectaculorum illecebris, nullis conviviorum irritationibus corruptae. — Luxuriarum secreta. — viri pariter ac feminae ignorant. paucissima in tam numerosa gente adulteria, quorum poena praesens et maritis permissa; abscisis 5

crinibus nudatam coram propinquis expellit domo maritus ac per omnem vicum verbere agit. — Ruptae enim pudicitiae nulla venia! — non forma, non aetate, non opibus maritus invenitur. — Nemo enim illic vitia ridet! — nec corrumpere et corrumpi servare saeculum vocatur. — Melius quidem ad hoc exemplum civitatum est, in quibus tandem virgines nubunt et cum spe votoque uxoris semel transigitur! — sic unum accipiunt maritum, quo modo unum corpus unamque vitam, ne ulla cogitatio ultra, ne longior cupiditas, ne tamquam maritum, sed tamquam matrimonium ament. — Numerum liberorum finire aut quemquam ex agnatis necare flagitium habetur. — plusque ibi boni mores valent quam alibi bonae leges. — In omni domo nudi ac sordidi in hos artus, in haec corpora, quae minantur, excrescunt. — sua quemque mater ubere alit, nec ancillis et nutricibus delegantur. — Dominum ac servum nullis educationibus, deliciis dignoscas. — inter eadem pecora, in eadem humo degunt, donec aetas separet ingenuos, virtus agnoscat. — Sera iuvenum venus. — eoque inexhausta pubertas. — Nec virgines festinantur: eadem iuventa, similis proceritas. — parentes validi aeque miscentur, ac robora parentum liberi referunt. — Sororum filiis idem apud avunculum, qui apud patrem, honor. — quidam sanctiorem arctioremque hunc nexum sanguinis nominisque arbitrantur et in accipiendis obsidibus magis exigunt, tamquam et in avidum firmius et domum latius teneant. — Heredes tamen successoresque sui cuique liberi. — et nullum testamentum. — Si liberi non sunt, proximus gradus in possessione: fratres, patrui, avunculi. quanto plus propinquitatis horum, tanto maior affinium numerus, tanto gratiosior senectus. — nec ulla orbitatis pretia. — Suscipere tam inimicitias seu patris seu propinqui quam amicitias necesse est. — nec implacabiles durant; luitur enim et homicidium certo armentorum ac pecorum numero,

recipitque satisfactionem universa domus, utiliter in publicum, quia periculosiores sunt inimicitiae iuxta libertatem.

Convictibus hospitiis non aliena gens. — et effusius indulget. — Quemcumque mortalium arces tecto: nefas habetur. pro fortuna quisque apparatis epulis excipit. cum deficere, qui modo hospes fuerat, monstrator hospitii. — et comes: proximam domum non invitati adeunt. nec interest: pari humanitate accipiuntur. notum ignotum, quantum ad ius hospitis, nemo discernit. — Abeunti, si quid poposcerit, concedere moris, et poscendi invicem eadem facilitas. gaudent muneribus. — sed nec data imputant nec acceptis obligantur.

victus inter hospites: communes.

22 Statim evicto somno, quem plerumque in diem extrahunt, lavantur; saepius aqua calida. — sicuti apud quos plurimum hiems occupat! — Lautum est: cibum capiunt; separatae singulis sedes. – etsi una communique mensa. — Tum ad negotia. nec minus saepe ad convivia procedunt armati. diem noctemque continuando potare nulli probrum. crebrae, ut inter vinolentos, rixae; raro conviciis, saepius caede et vulneribus transigitur. — sed de conciliandis invicem inimicis et iungendis affinitatibus et ad concilium instruendis principibus, de pace denique ac bello plerumque in conviviis consultant, tamquam nullo magis tempore aut ad simplices cogitationes pateat animus aut ad magnas incalescat. — Gens non astuta nec callida! — aperit ad hoc secreta pectoris licentia loci. — Ergo detecta et nudata omnino mens postera die retractatur! — et salva utriusque temporis ratio est: deliberant, dum ficta gerere nesciunt, constituunt, dum vera renovare possunt.

Potui humor ex hordeo ante fermento in quandam
23 similitudinem vini corruptus. — proximi ripae et vinum mercantur. — Cibi simplices: agrestia poma, recens fera

ac lac concretum. — sine apparatu, sine blandimentis expellunt famem. — Et adversus sitim non eadem temperantia. — si indulseris ebrietati suggerendo, quantum concupiscunt, ante nimiis facile vitiis quam armis vincentur.

24 Genus spectaculorum unum atque in omni coetu idem: nudi iuvenes, quibus id ludicrum est, inter gladios se atque infestas frameas saltu iaciunt. exercitatio artem parat. ars decorem, non in quaestum tamen aut mercedem. — quamvis audacis lasciviae pretium est voluptas expectantium. — Aleam, quod numeretur sobria inter seria, exercent tanta lucrandi perdendive temeritate, ut, cum omnia defecerunt, extremo ac novissimo iactu de libertate ac de corpore contendant. — victus voluntariam servitutem adit. quamvis iuvenior, quamvis robustior alligari se ac venire patitur. — Ea est in re prava pervicacia! — ipsi fidem vocant. servos condicionis huius per commercia tradunt,
25 ut se quoque pudore victoriae exsolvant. ceteris servis non in nostrum morem descriptis per familiam ministeriis utuntur: suam quisque sedem, suos penates regit, frumenti modum dominus aut pecoris aut vestis ut colono iniungit, et servus hactenus paret. — Cetera domus officia! — uxor et liberi exsequuntur. verberare servum ac vinculis et opere coercere rarum. — Occidere solent! — non disciplina et severitate, sed impetu et ira, ut inimicum, nisi quod impune est. — Liberti non multum super servos sunt: raro aliquod momentum in domo, numquam in civitate. — exceptis dumtaxat iis gentibus, quae regnantur; illic enim et super ingenuos et super nobiles ascendunt. apud ceteros impares libertini libertatis argumentum sunt.

27 Fenus agitare et in usuras extendere ignotum. — ideoque magis servatur quam si vetitum esset! — Agri pro numero cultorum. ab universis simul communes occupantur, quos mox inter se secundum ingenuos partiuntur. facilitatem partiendi camporum spatia

praestant. — arva per annos mutant. et superest ager: nec enim cum ubertate et amplitudine soli laborare contendunt, ut pomaria conserant et prata separent, ut hortos rigent, sola terrae seges imponitur. unde annum quoque ipsum non in totidem digerunt species. hiems et ver et aestas intellectum atque vocabula habent, autumni perinde nomen ac bona in ignorantia.

27 Funerum nulla ambitio. — id solum observant, ut corpora clarorum virorum certis lignis crementur. struem rogi nec vestibus nec odoribus cumulant: sua cuique arma, quorundam igni et equus adicitur. — Sepulcrum caespes erigit. — monumentorum arduum et operosum honorem ut gravem defunctis apparet vitari. — Lamenta et lacrimas cito, dolorem et tristitiam tarde ponunt. — feminis lugere honestum est, viris meminisse.

haec in communi omnium Germanorum origine ac moribus accepimus. nunc singularum gentium instituta ritusque, quatenus differant, quae nationes e Germania in Gallias
28 commigraverint, expediam. — Validiores olim Gallorum res fuisse summus auctor rerum divus Iulius tradit, eoque credibile est etiam Gallos et Germaniam transgressos. quantulum enim amnis obstabat, quominus, ut quaeque gens evaluerat, occuparet mutaretque sedes promiscuas adhuc et nulla regnorum potentia divisas? loca inter Herciniam silvam Rhenumque et Moenum amnes Helvetii, ulteriora Boii, Gallica utraque gens, tenuere. manet adhuc Boihemi nomen. — significatque loci veterem memoriam quamvis mutantibus cultoribus. sed utrum Aravisci in Pannoniam a Boiis, Germanorum natione, an Boii ab Aviscis in Germaniam commigraverint (cum eodem adhuc sermone institutis moribus utantur), incertum est. quia pari olim inopia ac libertate eadem utriusque ripae bona malaque erant. Treveri ac Nervii circa affectionem Germanicae originis ultro ambitiosi sunt, tamquam per hanc gloriam

sanguinis a similitudine et inertia Gallorum separentur. — Ipsam Rheni ripam haud dubie Germanorum populi colunt Vangiones Triboci Nemetes. ne Ubii quidem quamquam Romana colonia esse meruerint ac libentius Agrippinenses conditoris sui nomine vocentur, origine erubescunt transgressi olim. — et experimento fidei super ipsam Rheni
29 ripam collocati, ut arcerent, non ut custodirentur. — Omnium harum gentium virtute praecipui Batavi. non multum ex ripa, sed insulam Rheni amnis colunt, Chattorum quondam populus et seditione domestica in eas sedes transgressus, in quibus pars Romani imperii fierent. manet honos et antiquae societatis insigne; nam nec tributis contemptim minuuntur nec publicanus atterit. — exempti oneribus et collationibus et tantum in usum proeliorum sepositi velut tela atque arma bellis reservantur. — Est in eodem obsequio et Mattiacorum gens. protulit enim magnitudo populi Romani ultra Rhenum ultraque veteres terminos imperii reverentiam. — ita sede finibusque in sua ripa, mente animoque nobiscum agunt. — Ceterum similes Batavis. — nisi quod vetus ipsis est adhuc terra. hoc sueti solo et caelo acrius animantur. non numeraverim inter Germaniae populos quamquam trans Rhenum Danubiumque consederint eos, qui decumanos ante Herciniam silvam agros exercent. levissimus quisque Gallorum et inopiae audax dubiae possessionis solum occupavere. mox limite acto promotisque praesidiis sinus imperii et pars provinciae ha-
30 bentur. — Ultra hos Chatti initium. sedis ab Hercinio saltu incolunt. habitant non ita effusis ac palustribus locis, ut ceterae civitates, in quas Germania patescit. — dura aut, si quidem, colles paulatim rarescunt, et Chattos suos saltus Hercinius prosequitur atque deponit. — Duriora genti corpora, stricti artus, minax vultus. — et maior animi vigor. — Multum, ut inter Germanos, rationis ac sollertiae: praeponere electos, audire praepositos, noscere ordines,

intellegere occasiones, differre impetus, disponere exercitum dimicantem, vallare non certantem, fortunam inter dubia, virtutem inter certa numerare quodque rarissimum nec nisi Romanae disciplinae consensum, plus reponere in duce quam in exercitu. omne robur in pedite. — quem super arma ferramentis quoque et copiis onerant. alios ad proelium ire videas, Chattos ad bellum. rarum excursus et fortuita pugna. equestrium sane virium id proprium, cito parare victoriam, cito cedere, velocitas iuxta formidinem:
31 cunctatio propria horum est constantiae. — Constitutione aliis Germanorum populis usurpatum rara et privata cuiusque audientia apud Chattos in consensum vertit, ut primum adoleverint, crinem barbamque submittere nec nisi hoste caeso exuere votivum obligatumque virtuti oris habitum. — super sanguinem et spolia revelant frontem seque tandem pretia nascendi rettulisse dignosque patria ac parentibus ferunt. — Ignavis et imbellibus manet squalor. fortissimus quisque ferreum anulum (ignominiosum id genti) velut vinculum gestat, donec se caede hostis absolvat. — plurimis Chattorum hic placet habitus, iamque canent insignes et hostibus simul suisque quisque monstrati. — Omnium penes hos initia pugnarum. — iis prima semper acies, visu nova: nam ne in pace quidem cultu mitiori mansuescunt. — Nulli domus aut ager aut aliqua cura: prout ad quemque venere, aluntur. — prodigi alieni, contemptores sui, donec exsanguis senectus tam durae virtuti
32 impares faciat. proximi Chattis trito meantem iam alveo Rhenum quique terminus esse sufficiat Usipi et Tencteri colunt. — Tencteri super solitum bellorum decus equestris disciplinae inusitata arte praecellunt. — nec maior apud Chattos peditum laus quam Tencteris equitum. — Sic instituere maiores. — posteri imitantur. — Hic lusus infantium, hic iuvenum aemulatio. — perseverant senes. — Inter familiam et penates et iura successionum equi traduntur: excipit

filius non, ut cetera, maximus natu, sed prout ferox bello-
33 rum. — et melior. iuxta Tencteros Bructeri excurrebant,
nunc Chamavos et Angrivarios immigrasse narratur pulsis
Bructeris. — ac penitus excisis vicinarum consensu nationum
seu superbiae odio seu praedae dulcedine. — seu favore
quodam erga nos deorum. — Nonne spectaculo, quibus 5
proelium invidere? super sexaginta milia non armis telisque
Romanis obortis sed, quod magnificentius est, oblectationi
oculisque ceciderunt. — maneat, quaeso, duretque gentibus
si non amor nostri at certe odium sui, quando in gentibus
imperii factis nihil iam praestare Fortuna maius potest 10
34 quam hostium discordiam. Angrivarios et Chamavos a tergo
Dulgibini Cubrini et Chasuarii claudunt aliaeque gentes
haud perinde memoratae, a fronte Frisii excipiunt. —
Maioribus minoribusque Frisiis vocabulum est ex modo
virium. utraeque nationes usque ad Oceanum Rheno prae- 5
texuntur ambiuntque immensos insuper lacus et Romanis
classibus navigatos. — ipsum quoque Oceanum illa tempta-
vimus, et superesse adhuc Herculis columnas fama vulgavit,
sive adiit Hercules seu quidquid ubique magnificum est in
claritatem eius referre consensimus. nec defuit audentia 10
Druso Germanico, sed obstitit Oceanus in se simul atque
in Herculem inquiri. mox nemo temptavit, sanctiusque ac re-
verentius visum de actis deorum credere quam scire.
35 hactenus in occidentem Germaniam novimus. ad sep-
tentrionem ingenti flexu recedit. ac primo statim Chaucorum
gens quamquam incipiat a Frisiis ac partem litoris occupet,
omnium quas exposui gentium lateribus obtenditur, donec in
Chattos usque sinuetur. tam immensum terrarum spatium non 5
tenent tantum Chauci sed et implent, populus inter Germanos
nobilissimus quique magnitudinem suam malit iustitia tueri.
— Sine cupiditate. sine impotentia quieti secretique nulla
provocant bella, nullis raptibus aut latrociniis populantur!
— id praecipuum virtutis ac virium argumentum est, quod, 10

ut superiores agant, non per iniurias assequuntur. prompta tamen omnibus arma ac, si res poscat, exercitus plurimum virorum equorumque. et quiescentibus eadem fama. — In latere Chaucorum Chattorumque Cherusci nimiam ac marcentem diu pacem illacessiti nutrierunt. idque iucundius quam tutius facit, quia inter impotentes et validos falso socors quiescas: nisi manu arguatur, modestia ac probitas nomine superioris sunt. ita qui olim boni aequique Cherusci, nunc inertes ac stulti vocantur. — Chattis victoribus fortuna in sapientiam cessit. — Tracti ruina Cheruscorum et Fosi, contermina gens. — adversariorum pares et aequi socii sunt, cum, ni secta vetus lis, minores fuissent.

37 eundem Germaniae sinum proximi Oceano Cimbri tenent, parva nunc civitas sed gloria ingens, veterisque famae lata vestigia manent utraque ripa castra ac spatia, quorum ambitu nunc quoque metiaris molem manusque gentis et tam magni exitus fidem. sexcentensimum et XL annum urbs nostra agebat, cum primum Cimbrorum audita sunt arma Caecilio Metello ac Papirio Carbone consulibus; ex quo alterum imperatoris Traiani constitutum computemus: CC ferme nunc et decem anni colliguntur. tam diu Germania vincitur. — Medio tam longi aevi spatio multa in vicem damna. — non Samnis, non Poeni, non Hispaniae Galliaeve, ne Parthi quidem saepius admodum nocuere. — Quippe regno Arsacis acrior est Germanorum libertas! — quid enim aliud nobis quam caedem Crassi amisso in ipso et ipse Pacoro infra Ventidium derectus Oriens obiecerit? et Germani Carbone et Cassio et Scauro Aurelio et Servilio Caepione Marcoque Manlio fusis vel captis quinque simul consulares exercitus populi Romani, Varum ruina tresque tum ea legiones etiam Caesari abstulerunt. — Nec impune: Gaius Marius in Italia, divus gravius inde Iulius in Gallia, Drusus ac vero Germanicus in suis eos sedibus perculerunt. — mox ingentes Gaii Caesaris minae in ludibrium versae.

— Tum otium. — donec occasione discordiae nostrae et civilium armorum expugnatis legionum hibernis etiam Gallias affectavere. — At rursus pulsi. — nam proximis tempo- 25
ribus triumphati magis quam victi sunt!

38 nunc de Suevis dicendum est, quorum non una, ut Chattorum ferme Tencterorumve, gens. — Maiorem enim Germaniae partem obtinent! — propriis adhuc nationibus nominibusque discreti, quamquam universi Suevi vocentur. — Insigne gentis obliquare crines nodoque substringere. 5
sic Suevi a ceteris Germanis, sic Suevorum ingenui a servis separantur. — in aliis gentibus — seu cognatione aliqua seu quibus saepe accidit imitatione — rarum et inter iuventae spatium: apud Suevos usque ad canitiem horrentem capillum retrorsum aeque universi curvant ac saepe 10
in ipso vertice ligant. principes et ornatiorem habent. — Ea cura formae incesta! — sed in opinione; neque enim ut ament amenturve, in altitudinem quandam et terrorem
39 adiecturi; bello compti, ut hostium oculis armantur. vetustissimos nobilissimosque Suevorum Semnones memorant. — Fides antiquitatis religione firmatur: aestivo tempore in silvam auguriis patrum et prisca formidine sacram, ruinis non civibus quidem emissi denique sanguinis, po- 5
puli legationibus coeunt. — caesoque publice homine celebrant barbari ritus horrenda primordia! — Est et alia luco reverentia: nemo nisi vinculo ligatus ingreditur ut minor et potestatem numinis prae se ferens: si forte prolapsus est, attolli et insurgere haud licitum; per humum 10
volvuntur. — eoque omnis superstitio respicit, tamquam inde initia gentis, ibi regnator omnium deus, cetera subiecta atque parentia. — Additur auctoritas fortuna Semnonum: centum pagis habitatur. — magnoque corpore efficitur, ut
40 se Suevorum caput credant. contra Langobardos pauca nobilitas: plurimis ac valentissimis nationibus cincti non per obsequium, sed proeliis et periclitando tuti sunt. re

una dignitatem demunt et Aviones et Anglii et Varini et
Eudoses et Suarmes [seu Suardones] et Nuithones: flumi- 5
nibus et silvis muniuntur. nec quicquam notabile in singulis,
nisi quod Manni matrem Nerthum i. e. Terram matrem
colunt eamque intervenire rebus hominum, invehi exemplo
Opis, arbitrantur. — Est in insula Oceani castum nemus
dicatumque in eo vehiculum veste contectum. attingere uni 10
sacerdoti commissum [seu concessum]. is adesse penetrali
deam intellegit vectamque bubus feminis multa cum vene-
ratione prosequitur. dicti tunc dies, festa loca, quaecumque
adventu hospitioque dignatur. non bella ineunt, non arma
sumunt. — clausum omne ferrum, pax et quies tunc tan- 15
tum vota, tunc tantum amata, donec idem sacerdos satiatum
conversatione mortalium deum templo reddat. mox vehi-
culum et vestes et — si credere velis — numen ipsum
secreto lacu abluitur. servi ministrant. aequos statim idem
lacus haurit. arcanus hinc terror sanctaque ignorantia, quid 20
41 sit illud, quod tantum per initia vident. sed haec quidem
pars barbarorum in secretiora Germaniae porrigitur. propior,
ut quomodo paulo ante Rhenum, sic nunc Danubium
sequar, Hermundurorum civitas. — Fida Romanis. eoque
solis Germanorum non in ripa commercium, sed penitus 5
atque in splendidissima Raetiae provinciae colonia. passim
sine custodia transierint. — et cum ceteris gentibus arma
modo castraque nostra ostendamus, iis domos villasque pate-
facimus non concupiscentibus. — In Hermunduris Albis
42 oritur, flumen ignotum olim. — nunc tantum auditur. iuxta
Hermunduros Naristi ac deinde Marcomanni et Quadi
agunt. — Praecipua Marcomannorum gloria viresque. —
atque ipsa etiam fides pulsis olim Boiis virtute parta.
nec Naristi Quadive degenerant. — Eaque Germaniae 5
universae a limite Romano finis est. — quatenus Danubio
peragitur. Marcomannis Quadisve usque ad nostram
memoriam reges manserunt. — ex gente ipsorum; nobile Maro-

bodui tyranni et tum duri genus. — iam et externos
patiuntur. — Si vis: et potentia regibus ex auctoritate 10
Romana. — raro armis nostris, saepius pecunia iuvantur.
43 nec minus valent. — Retro. Marsigni Gothini Osi Buri
terga Marcomannorum Quadorumque claudunt, e quibus
Marsigni et Buri sermone cultuque Suevos referunt, Gothi-
nos Gallica, Osos Pannonica lingua coarguit non esse
Germanos. — et quod tributa patiuntur. partem enim 5
tributorum Sarmatae, partem Quadi ut alienigenis imponunt.
Gothini, quo magis pudeat, et ferrum effodiunt. — Omnes-
que hi populi pauca campestrium, ceterum saltus et vertices
montium iugumque insederunt. — dirimit enim scinditque
Sueviam continuum montium iugum, ultra quod plurimae 10
gentes agunt. — Ex quibus latissime patet Lygiorum nomen
in plures civitates diffusum. — valentissimas nominasse
sufficiet: Harios, Helvecanas, Manimos, Helisios, Nahaver-
nalos. — Apud Nahavernalos antiquae religionis lucus
ostenditur. praesidet sacerdos muliebri ornatu, sed deos 15
interpretatione Romana Castorem Pollucemque memorant.
ea vis numini, nomen Alcis. — nulla simulacra, nullum
peregrinae suspicionis vestigium. ut fratres tamen, ut
iuvenes venerantur. — Ceterum Harii super vires, quibus
enumeratos paulo ante populos antecedunt, trucis insita 20
feritate arte ac tempore lenocinantur: nigra scuta, tincta
corpora, atras ad proelia noctes legunt. — ipsaque formidine
atque umbone legionibus alis feralis exercitus terrorem
inferunt nulla vi hostium sustinente novum ac velut in-
fernum aspectum; nam primi in omnibus proeliis oculi 25
vincuntur. — Trans Lygios Gothones regnantur paulo iam
adductius quam ceterae Germanorum gentes, nondum tamen
supra libertatem, protinus deinde ab Oceano Rugii et
Lemovii. omniumque harum gentium insigne rotunda scuta,
44 breves gladii. — et erga reges obsequium. — Suionum
hinc civitates ipso in Oceano. uni praeter vires armaque

classibus valent. forma navium eo differt, quod lateris utriusque prora paratam semper appulsui frontem agit nec velis ministrantur. — nec remos in ordinem lateribus adiungunt: solutum, ut in quibusdam fluminum, et mutabile, ut res poscit, hinc vel illinc remigium. — Est apud illos et opibus honos. eoque unus imperitat nullis iam exceptionibus. — nisi precario iure parendi. — Nec arma, ut apud ceteros Germanos, in promiscuo, sed clausa sub custode et quidem servo, quia subitos hostium excursus prohibet Oceanus. — otio sane porrecto armatorum manus facile lasciviunt: enimvero neque nobilem neque ingenuum, ne libertinum quidem armis praeponere regia utilitas est. trans Suionas aliud mare, pigrum ac prope immotum, quo cingi claudique terrarum orbem hinc fides, quod extremus cadentis iam solis fulgor in ortum secundum urat adeo clarus, ut sidera hebetet. — Sonum insuper emergente audiri formasque decorum et radios capitis aspici persuasio adicit. — illuc usque et fama. vera tantum natura. — Ergo iam dextro Suevici maris litore Aestiorum gentes adumbrata loquuntur! — quibus ritus habitusque Suevorum, lingua Britannicae propior. — Matrem deum venerantur. insigne superstitionis formas aprorum gestant. id pro armis omniumque tutelarum securum deae cultorem etiam inter hostes praestat. — rarus ferri, frequens fustium usus. — Frumenta ceterosque fructus patientius quam pro solita Germanorum inertia laborant. sed et mare scrutantur ac soli omnium, sucinum quibus. — ipsi glaesum vocant. inter vada atque in proprio litore legunt. — Nec quae natura quaeve ratio gignat, ut barbaris quaesitum compertumve. — diu quoque inter cetera eructata metalla maris iacebat, donec luxuria nostra dedit nomen. — Ipsis in nullo usu, rude legitur. — informe profertur, pretiumque mirantes accipiunt. — Sucum tamen arborum esse intellegis, quia terrena quaedam atque etiam volucria animalia plerumque

interlucent, quae implicata humore mox durescente materia cluduntur. — fecundiora ergo nemora lucosque sicut Orientis secretis, ubi tura, balsama quoque, sudantur, ita Occidentis insulis terrisque inesse crediderim. quae vicini solis vis, rabidius expressa atque liquentia in proximum mare labuntur ac vi tempestatum in adversa litora exundant. — Si naturam sucini admoto igne temptes, in modum taedae accenditur alitque flammam pinguem et olentem. — atenim mox ut in picem resinamve lentescit! Suionibus Sitonum gentes continuantur. — Cetero similes asse uno differunt, quod femina dominatur. — in tantum non modo a libertate sed etiam a servitute degenerant. hic Sueviae fines.

46 Peucinorum Venetorum et Fennorum nationes Germanis an Sarmatis adscribam, dubito, quamquam Peucini, quos quidam Bastarnas vocant, sermone cultu sede ac domiciliis ut Germani agunt. — Sordes an minimum ac torpor? pro certo unum, conubiis mixtos. — nonnihil in Sarmatarum habitum foedantur. — Veneti multum ex moribus traxerunt; nam quidquid inter Peucinos Fennosque silvarum ac montium erigitur latrociniis pererrant. — hi tamen inter Germanos potius referuntur, quia et domos fingunt et scuta gestant et peditum usu ac pernicitate gaudent, quae omnia diversa Sarmatis sunt in plaustro equoque viventibus. — Fennis mira feritas, foeda paupertas; non arma, non equi, non penates; victui herba, vestitui pelles; cubile humus. — sola in sagittis species, quas inopia ferri ossibus ars perducit. idemque venatus viros pariter ac feminas alit; passim enim comitantur partemque praedae petunt. nec aliud infantibus ferarum imbriumque suffugium, quam ut in aliquot ramorum nexu contegantur. huc redeunt iuvenes, hic senum receptaculum, sed beatius arbitrantur quam ingemere agris, insumere laborem domibus, suas alienasque fortunas spe metuque versare. securi ad-

versus homines, securi adversus deos (rem difficillimam!) asse tuti sunt, ut illis ne noto quidem opus esset.

Cetera iam fabulosa: Hellusios et Exionas ora ho- 25
minum vultusque, corpora atque artus ferarum gerere. — quae ego, ut incompertum, in medium relinquam.

Pauca ex commentario meo.

1 omnis = Transrhenana. — Cetera—complectens: cf. Mela 3 25 qua septentrionem (Germania) spectat, oceanico litore obducta est. — num—aperuit = quis id confirmare potest, cum adhuc ne quaedam quidem gentes et regiones percognitae sint, quas bellum (a nobis cum Germanis tam diu gestum) aperuit? — Auctores, qui neque Rhenum nec Danubium amnes plane noverint, illum in occidentem versum esse, hunc sex meatibus in Ponticum mare erumpere rati, iidem num fines septentrionales Germaniae compertos habent? — gentes et regiones: cf. Liv. XXI 30 omnes gentesque et terrae, quas duo diversa maria amplectantur. Sall. Iug. 17 loca et nationes.

sex meatibus: cf. Plin. IV 12 sex fluminibus evolvitur.

2 classibus — quaerebant: Dido, Aeneas. — inviae aquae: cf. Verg. A IX 130 maria invia Teucris. — usus inviae aquae = navigatio invii maris; cf. Caes. bG II 8 eo mari uti. — his = illis, Germanis. — Germani nisi indigenae essent, inde ab Oceano olim litus a Rheni ostio in septentriones spectans occupavissent illincque se per Germaniam diffudissent. Ea est sententia Taciti. Nos quidem Germanos ab oriente idque terra in Germaniam commigravisse pro certo habemus.

Celebrant sc. hi (Germani). — quod—constantius. Sunt apud Germanos et alia memoriae et annalium genera, sed minus constantia. Cf. Liv. X 37 huius anni parum constans memoria (=quae hoc anno acciderunt, ea alio loco aliter narrantur). — communem deum = deum omnibus aeque venerandum. Cf. IV 64 communibus dis. Verg. A VIII 275 communemque vocate deum. Serv. ad Verg. A XII 118 dii communes sunt, qui caeli certas non habent partes, sed generaliter a cunctis coluntur; ubique enim eos esse manifestum est. Alfadur, Wuotan. — conditae sc. a communi deo. ‚oriundus differt ab ortus: illud refertur ad personam vel locum, unde parentes nostri sunt, hoc refertur ad personam vel locum, unde ipsi nati sumus'. — inde = ab his pluribus gentis auctoribus. — quoniam — vocati (sint): cf. Caes. bG II 4 sic reperiebat (Caesar), plerosque Belgas esse ortos ab Germanis Rhenum antiquitus traductos Gallosque qui ea loca incolerent expulisse. — numeri ceteri integri = ceteri, qui tum Rhenum non transgressi sunt. — nomen novum sc. ‚Germani'. — gerentis

(acc.) = qui id novum nomen gererent (= gerebant). — auctore incerto: cf. 6 12 incerto auctore, II 72 incertis auctoribus. — re — invento nomine: cf. 1 81 speciosa verbis, re inania. — Ille auctor incertus illos ‚germanos' vocavit, quoniam re vera ob matrem communem (= Terram) germani erant — cf. Varr. apud Serv. ad Verg. V 412 germanus = de eadem genetrice manans —, Germani se ipsi invento nomine (= ignari, quaenam vis eius vocabuli esset,) germanos vocabant. [Nos quidem vocab. ‚**german**' Germanicum esse contendimus: man (= Mannus), êr (= terra), êrman (= filius terra editus, auctor gentis), gêrman (= ge+êrman) = omnes eius gentis, cuius auctor êrman fuit, homines; cf. Panhellenes. Sane igitur primum Germani ipsi se ‚german' ob matrem communem re vocabant, mox a Romanis ‚Germani' non intellecto nomine vocabantur. Cf. Alamanni (= al+aman)].

3 ‚Nemo Asia aut Africa aut Italia relicta Germaniam petierit: **nonne Graeci in Germaniam commigravisse videntur**, cum Germani Herculem laudibus ferant, cum iidem ante proelia carminum relatu animos accendant (cf. παιανίζειν, ἀλαλάζειν), cum vocab. ‚**bar**' vocabuli βαρύς (= gravis) memoriam afferat?'

terrent . . . . **refutatio.**

4 tum sc. aiunt (qui — arbitrantur). — non eadem = aliorum alia.

5 pecorum fecunda = pecora Germaniae fecunda (v. Boett. Lex. Tac. 34sq.) — Eaeque — sunt! (iron.) = sunt et aliae opes eaeque gratiores, aurum argentum. — argentum . . . : refutatio. — haud perinde sc. ac possessione et usu armentorum. Cf. 4 61 monimenta (Haterii) haud perinde retinentur. — Interiores — utuntur: sarcasmus; pecuniae usus mercatum reddit simpliciorem.

6 scuta — distinguunt: ergo falsum est id, nullam cultus iactationem. — paucis loricae: ergo falsum id, nudos aut sagulatos (cf. Suet. vit. 11) omnes. — uno fluxu (= uno flumine); cf. fluo, confluo. — cuneato orbe = parte orbis quae cuneo similis est. — mixti sc. equi = equites. — quos — locant. Cum Tac. id, quod Caesar narrat, apud Germanos cum peditibus equites mixtos pugnare, neget, a Germanis mox illum pugnandi morem omissum verisimile est. — Diffinitur (= definitur) in libris C. Plinii Sec. scriptis legitur. — et quod — est: iam non centeni ex singulis pagis sunt. — cedere — arbitrantur: ergo raro veros cuneos videas. — multique — finierunt: ergo alia poena affecti sunt (v. 12).

7 effigiesque . . . : si deum re vera bellantibus adesse credunt, cur effigies in proelia ferunt? Est aliud idque praecipuum fortitudinis incitamentum.

pignora: cf. 16 26 timendum, ne (Nero) in coniugem, in filiam, in cetera pignora (Thraseae) saeviret. — unum — unum se. pignus. Cf. Cic. Phil. 1 2 magnum pignus ab eo rei p. datum se liberam civitatem esse velle. — ad matres — ferunt; ergo hae singulos pugnantes videre nequeunt. Aliter: 4 51 illis (Thraecibus) extrema iam salus et adsistentes plerisque matres et coniuges earumque lamenta addunt animos.

alimentaque . . . : quis est, qui militi duobus exercitibus pugnantibus alimenta afferre aut militem duobus exercitibus pugnantibus in proelio hortari audeat?

8, 9 puellae: non matres, non coniuges.—nec tamquam facerent deas: aliquot annis post Tac. suam sententiam commutavit; legimus enim IV 61 Veleda late imperitabat vetere apud Germanos more, quo plerasque feminarum fatidicas et augescente superstitione arbitrantur deas. — deas — deorum: Germani solum deos colunt: si deae coluntur, id sacrum peregrinum est (cf. Moebius, Deutsche Göttersagen, p. 34). — Secretum illud est = qui non prohibent, cum secretum illi luci consecrati sint? — quod . . . (refutatio): secretum illos lucos vident propterea, quod verentur.

10 si consilium detur: cf. 8 nec consilia deorum aspernantur. — apud plebem, apud proceres = apud non sacerdotes (apud laicos). — Est et aliud genus: Caes. bG I 50 apud Germanos ea consuetudo erat, ut matres familiae eorum sortibus et vaticinationibus declararent, utrum proelium committi ex usu esset necne.

11 ut turbae placuit: fit igitur, ut iam primo die considant. — honoratissimum genus: ergo sunt et alia assensus genera. Cf. V 17 tripudiisque approbata sunt dicta.

12 imbelli — informes = qui cum imbelles sint, suum corpus secuerunt (mutilaverunt), ne in bellum eant. — gravitate: abstr. pro concr. . Quae Liv. I 51, IV 50 (necari sub crate) narrat, mos Romanorum est.

pars — exsolvitur (ref.): dum apud Romanos multa omnis civitati exsolvatur, in Germania pars multae ipsi qui vindicatur vel propinquis eius exsolvitur. — comites: cf. ‚cohors praetoria.‘ — consilium: cf. 6 ‚centeni‘ nomen et honor.

13 Vocab. ‚adulescentulis‘ v. ‚iuvenum‘, ‚iuventae‘ opponitur. — robore = ob robur. Ceteri ob robur inter comites aspiciuntur. — magnaque . . . : si comites aemulantur, quibus primus apud principem suum locus, unus ex iis primum apud principem suum locum iudicio principis ob sua merita obtinet.

14 petunt ultro (= sua sponte): contra dicitur sententiae ‚comites

pro principe pugnant'. — Exigunt . . . : contra dicitur (ironice) sententiae: ‚magnum — tueare'. — exigere cum acc. c. inf. (sumi); cf. infra ‚persuadeo c. inf.'

15 etiam subvenit: non sufficit.

16 vicos . . . : quamquam discreti ac diversi colunt, tamen alii alium vicum incolunt. — quaedam loca oppon. v. ‚ad omnia.' — insuper onerant oppon. v. ‚solent aperire'.

17 et singulos artus exprimente: **gerunt bracas et vestimentum manicatum.** Vide columnas Romae, quas dicimus Traiani, Antonini. — Detracta velamina, si parva, gerunt magna cum lascivia: cf. Caes. bG VI 15 pellibus aut parvis renonum tegimentis utuntur magna ex parte corporis nuda. IV 1 (Suevi) in eam se consuetudinem adduxerunt, ut locis frigidissimis neque vestitus praeter pellis haberent quicquam, quarum propter exiguitatem magna est corporis pars aperta. — pellibusque = **non illa velamina parva sola gerunt, sed cum pellibus beluarum.** Cf. Einharti vita Caroli Magni. c. XXIII ex pellibus lutrinis et murinis thorace confecto humeros ac pectus hieme muniebat. (plurimis diebus) habitus eius parum a communi ac plebeio abhorrebat. Cf. Strab. 290 et 196. — beluarum — gignit: cum illae beluarum pelles pars cultus Germanorum sint et easdem beluas exterior Oceanus atque incognitum mare gignat, falsum illud ‚ulterioribus nullus per commercia cultus'; nam ulterioribus illae beluarum, phocarum, pelles per commercia. — vestitus superioris: ergo feminae etiam vestitum inferiorem habent nec solum feminae sed etiam viri, quorum idem habitus ac feminarum, nisi etc. Cf. Curt. 5 1 38 exuere amicula summa quaeque. — Cf. E. v. Car. M. l. c. vestitu patrio, id est Francico utebatur, ad corpus camisam lineam, et feminalibus lineis induebatur. deinde tunicam, quae limbo serico ambiebatur: et tibialia tunc fasciolis crura et pedes calciamentis constringebat . . . sago veneto amictus et gladio semper accinctus (cf. Tac. G 13 nihil . . . nisi armati agunt).

18 Nam — sunt (ironice): qui hanc morum partem laudare potes, cum non sint singulis uxoribus contenti? Ariovistus duas uxores habuit. — non libidine: pelices concubinasve non habent. — Dotem (= O dotem): acc. exclam. Num matrimonia Germanorum ob dotes laudari possunt? Si nox est, uxor est marito; ea est una dos nuptae novae. sed memini dotem a marito uxori offerri, interesse parentes ac propinquos. Ea vero tibi placent? Eos mores tu maxime laudas! — munera — munera: contra dicitur sententiae: ‚dotem uxori maritus offert.' Maritus uxori, cum intersunt parentes

ac propinqui, munera (non dotem) offert. Cf. Hor. ep 16 41 arva, beata petamus arva. — non ad cultus muliebres nec quibus nova nupta obruatur: cf. 16 31 interrogante accusatore, an cultus dotales, an detractum cervici monile venum dedisset (Servilia) . . . inquit . . sic gemmas et vestes et dignitatis insignia dedi . . . — admonetur: contra dicitur sent. ‚haec arcana sacra'. Putas ab aliquo orationem haberi. — iuncti boves renuntiant: vinculum unum sc. futurum esse marito uxorique; paratus equus: periculum unum iisdem fore; data arma: accipere (uxorem), quae servet . . .

19 Luxuriarum secreta. Contra dicitur: spectacula et convivia sunt enim luxuriarum publica. — poena — maritis permissa: cf. 13 32 (in Britannia) maritus prisco instituto propinquis coram de capite famaque coniugis cognovit. — Ruptae . . . cf. supra ‚saepta pudicitia'. Ergo solum uxores impudicae poena afficiuntur: non afficiuntur impudicae virgines aut viduae. — non forma . . . . refutatio: cf. 12 64 nec forma aetas opes (Lepidae et Agrippinae) multum distabant. — Nemo — ridet (ironice) = gens sancta et casta est! — nec . . : refutatio. — Melius est . . . (ironice): matrimonium enim prohibere solet, ne mulier in vitia delabatur. — ne tamquam . . . ament: ut homines corpora sua non tamquam corpora sed tamquam vitam amant, sic sperari potest fore ut virgo, quae unum maritum accipiat, maritum suum non tamquam maritum sed tamquam matrimonium amet.

20 tamquam et (eos, sororum filios, obsides) in avidum (= quod ad avidum, quod ad avunculum attinet) firmius et domum latius (familias et patris et avunculi obsidum) teneant (sc. exigentes).

21 durant: sc. Germani. — Convictibus hospitiis: asyndeton copul.: cf. notum ignotum. 6 19 inlustres ignobiles.

arces tecto: nefas habetur. = si arces tecto, nefas habetur. Cf. 18 nox: uxor marito = si nox (est), uxor (est) marito. Iuv. 3 100 Rides: maiore cachinno concutitur (blanditor).

cum deficere sc. fuit. Cf. Sall. Iug. 110 3 fuerit mihi eguisse. — et comes: non solum monstrator sed comes.

victus inter hospites: communes (victus): transitio maior [= illi (Quemcumque — obligantur) sunt victus inter hospites, hi (22 Statim sqq.) sunt communes].

22 Statim evicto somno = statim simulac somnum evicerunt. Cf. Cic. or. 10 15 statim Catone absoluto. — sicuti . . . : Quoniam et Germanos fluminibus lavari et aquam in Germania plurimum hieme occupari sat notum est, falsum est Germanos saepius calida lavari. — Lautum est; cf. caenatum est, cautum est. — Lautum est =

si lautum est. Cf. 21 arces tecto. — ad negotia sc. eunt, se conferunt. — continuando sc. ea, convivia. Noctem igitur diemque convivia non continuando potare probrum est. — ad concilium principes instruere: quod necessarium est, cum principes soli in concilio audiantur (11). Si Germani in conviviis de conciliandis invicem inimicis . . . consultant, rixae rarae sunt.

Gens non astuta nec callida (ironice) = gens astuta et callida est. Cf. Vell. Pat. 118 illi (Germani), quod nisi expertus vix credat, in summa feritate versatissimi natumque mendacio genus. Caes. bG I 47 (Ariovistus), IV 3 (perfidia et simulatione usi), Tac. I 55 (Arminius insignis perfidia in nos). 2 19 astus hostium in perniciem ipsis vertebat (Germanicus). Germanorum legati contra ‚nullos mortalium armis aut fide ante Germanos esse' Romae in theatro exclamant (13 54). [At Sallustius Mithridatem in epistula Arsaci regi missa dicentem facit Romanos esse callidos et repertores perfidiae.] — astutus = ‚versutus, malitiosus, ad decipiendos alios ingeniosus, quod in rem suam est diligentissime providens'. — callidus = ‚multa rerum experientia doctus'.

Ergo — retractatur (ironice). Qui fit, ut detecta ac nudata omnino mens non eadem die in convivio usque ad finem, usque ad constitutum tractetur? — Postera die secreta pectoris non aperiuntur. — ergo ‚servit indignationi'.

deliberant (potantes), dum (ficta gerere nesciunt) vera dicunt, nam ‚in vino veritas'; constituunt (non potantes), dum vera (non ficta), quae audierunt, renovare possunt. Quae cum ita sint, ratio utriusque temporis (et eius, quo deliberaverunt, et eius, quo constituerunt) convenit; non conveniret, si deliberantes ficta gerere scirent, constituentes tantum ficta renovare possent.

23 fermento corrumpi = fermentari.

24 quod sc. aleam exercere. — numeretur sobria inter seria: cf. 30 fortunam inter dubia, virtutem inter certa numerare. — sobria seria = seria sobriorum: cf. 27 monumentorum arduum et operosum honorem = monumentorum arduorum et operosorum honorem.

25 domus = domini + uxoris + liberorum. — uxor . . . refutatio. Occidere = quod magis reprehendendum est quam verberare.

26 Fenus — esset: cf. c. 19 Numerum — leges. — servatur (sc. fenus) = non agitatur nec in usuras extenditur. — vetitum esset sc. agitari et in usuras extendi. — ideoque — esset (ironice). Si fenus agitare et in usuras extendere ignotum esset, fenus in Germania semper et ubique servaretur; sed notum et licitum est

atque, quamquam licitum est, tamen magis servatur quam si agitari et in usuras extendi vetitum esset. — Quod genus fenoris intellegendum sit, ex iis quae sequuntur, cognoscimus; nam et in agris serere = fenus agitare et in usuras extendere. — Cf. Hor. epod. 2 paterna rura bobus exercet suis solutus omni fenore.

secundum ingenuos: libertorum non eadem sunt iura, quae ingenuorum: servi agros tantum dominorum colunt (25). — arva per annos mutant: contra dicitur sententiae: ‚Agri pro numero cultorum' sunt. Etsi numerus cultorum non mutatus est, tamen arva quotannis mutantur. — superest ager: cf. 6 ne ferrum quidem superest.

27 gravem: a Romanis optantibus, ut sit defunctis terra levis, gravia monumenta (Mausolea) non vitantur.

in communi origine = de communi origine.

28 tradit: Caes. bG VI 24 ac fuit antea tempus, cum Germanos Galli virtute superarent.

etiam: ‚tu aliquid oblitus es: ut Germani in Gallias, sic Galli in Germaniam commigraverunt: pars horum et Germaniam transgressi sunt'. — quantulum . . . : Galli etiam rebus suis non validioribus Rhenum amnem transgredi potuerunt.

significatque — cultoribus: si nomen Boihemi (= Boiorum patriae) manet, inde facile colligi potest Boios adhuc loca, ubi id nomen maneat, incolere. Num incolunt? Immo, postquam diu incoluerunt, a Marcomannis pulsi sunt (40). Manet nihilo minus id nomen, sed mutatur a cultoribus.

sed — erant: ‚Galli Germaniam transgressi sunt'. — Quod argumentum afferri potest? — ‚Firmum, quod Aravisci in Pannoniam a Boiis commigraverunt'. — At parum potens, si Boii Galli essent; — neque enim certum est, utrum Aravisci in Pannoniam a Boiis an Boii ab Araviscis in Germaniam commigraverint — atque exile, quoniam **Boios Germanorum nationem esse satis constat.**

circa affectionem Germ. originis ultro ambitiosi sunt: cum nonnulli scriptores Boios Gallicam gentem esse contendant, Treveri ac Nervii, Gallica utraque natio, ultro (= sua sponte) petunt, ut ab aliis ad originem Germanicam referantur.

inertia Gallorum: cf. 11 18 (Gannascus) non ignarus (Gallos) dites et imbelles esse.

29 non multum (sunt) ex ripa (= quod ad ripam attinet) Batavi. — Cf. IV 12 Batavi extremae Gallicae ora vacua cultoribus simulque insulam iuxta sitam occupavere.

exempti — reservantur: sane quidem tributis non minuuntur

neque a publicano atteruntur; id vero non antiquae societatis insigne est, sed tantum in usum proeliorum sepositi velut tela atque arma reservantur.

ita — agunt: Non sunt Mattiaci eodem in obsequio ac Batavi; Batavi non iam sede finibusque in sua ripa agunt.

nisi — animantur: ergo haud similes ceterum Mattiaci Batavis.

non numeraverim . . . Cf. Caes. bG VI 24 ac fuit antea tempus, cum Germanos Galli virtute superarent, ultro bella inferrent, propter hominum multitudinem agrique inopiam trans Rhenum colonias mitterent. itaque ea quae fertilissima loca circum Herciniam silvam Volces Tectosages occupaverunt atque ibi consederunt.

30 initium (sunt) = primus sunt inde a populis, qui decum. at. He. s. agros exercent, Germanorum populus, qui trans Rhenum Danubiumque sedes habet. — dura = non palustria loca. — loca, ubi colles sunt = loca non effusa.

dura — deponit: hoc ‚Chattos habitare non ita effusis ac palustribus locis ut ceteras civitates, in quas Germania patescat' conceditur, illud ‚sedis ab Hercinio saltu incoli' negatur, immo [Hercinium saltum eos prosequi atque deponere (= relinquere, abicere)=] saltum Hercinium longe ultra Chattos porrigi affirmatur.

et maior animi vigor = quaestio, qualis animus sit, maioris momenti esse videtur, quam quaestio, quale sit corpus.

noscere = agnoscere (simp. pro comp.).

quod rarissimum (esse) nec nisi Rom. disciplinae (esse) consensum (est). Adhuc uno consensu affirmatum est ‚plus reponere in duce quam in exercitu' rarissimum nec nisi Romanae disciplinae esse, quae sententia falsa est: non solum Romani, sed etiam Chatti plus in duce quam in exercitu reponunt.

ferramentis: ergo facile vallare possunt exercitum non certantem.

velocitas = cito parare victoriam. — formido = cito cedere.

horum = quorum omne robur in pedite = harum pedestrium virium.

31 privata cuiusque audientia = si quis verbo patri vel propinquitati (non civitati) audiens fuit.

plurimis — habitus, insignes — monstrati: ergo falsum illud ‚ignominiosum id genti'.

ne — mansuescunt: ergo falsum illud ‚ignavis — squalor'; manet enim fortissimo cuique.

contemptores sui: ergo falsum illud ‚nulli — ager'; falsum etiam id ‚nulli aliqua cura'; cum enim exsanguis senectus eos tam durae virtuti impares fecit, curant sua.

32 trito meantem iam alveo Rhenum = Rhenum, qui iam termi-

nus esse queat, cum alio tempore alio alveo non meet.

maximus natu, si tres vel plures filii, melior, si duo filii sunt.

33 penitus excisis: adversarius illud ‚pulsis' emendat. An iure? Bructeros aliquanto post in eadem regione sedes habuisse notum est.

nonne spectaculo iis (= Romanis) quibus proelium invidere sc. vicinae nationes.

in gentibus imperii factis = quod ad gentes imperii (nostri) factas attinet. Cf. 27 in communi origine. — Liv. XXII 20 11 qui dicionis imperiique Romani facti sunt populi amplius fuere CXX.

34 ipsum . . . : non solum illos lacus nostris classibus navigavimus sed etiam Oceanum illa temptavimus.

35 deorum: Hercules filius Iovis dei est.

quas exposui gentium: Chasuariorum, Cubrinorum et Dulgibinorum, Angrivariorum et Chamavorum, Tencterorum et Usiporum.

Sine — populantur (ironice) = haud iusti sunt. Quid tu ipse de omnibus Germanis (c. 14) narravisti?

36 exercitus (gen.) est plurimum virorum equorumque.

In — vocantur: contra dicitur. — arguatur = contra probatur, refellitur, refutatur (sc. modestiam ac probitatem adversarii esse).

Chattis — cessit: refutatio. Chatti, non Chauci victores fuerunt. adversariorum = Cheruscorum. — pares et aequi: cf. ad Herenn. 4 40 in aequos et pares fastidiosus, in inferiores crudelis. ni secta vetus lis (esset): fuerat vetus lis Cheruscis cum Fosis, quae nisi Cheruscis a Chattis victis secta esset, Fosi Cheruscis

37 minores fuissent; nunc vero iis victis pares et aequi sunt.

gloriâ.

Medio - victi sunt: altercatio sane apta ad alliciendos legentium animos.

admodum nocuere: ergo falsum illud ‚multa invicem damna.'

38 Quippe — libertas (ironice): Non est libertas regno acrior.

Maiorem — obtinent (ironice): etiam in parva Germaniae parte plures gentes habitare possunt.

Insigne gentis: Adversarius in iudicio suo, Suevorum esse gentem unam, pertinaciter perseverat.

seu (iis gentibus) quibus saepe accidit (= ubi ex improviso evenit, ubi subito occurrit).

in aliis gentibus rarum: ergo falsum id ‚insigne illud Suevorum'.

capillum in ipso vertice ligant = capillum summum ligant. — Ergo falsum illud ‚crines nodo substringunt.'

Ea cura formae incesta (ironice): Tu qui paulo ante (c. 18, 19) castitatem Germanorum laudibus tuleris, hoc loco de cura formae

incesta mentionem habes. — Sunt Romae capita amatorum et muliercularum saepius turrita.

39 sed in opinione sc. est ea cura formae incesta, re non incesta.

memorant: cf. 4 arbitrantur, 3 memoratur.

Fides antiquitatis — firmatur: Adversarius, unus ex iis, qui id memorant, argumentum antiquitatis, mox aliud nobilitatis affert.

caeso homine: etiam non cives homines sunt; quamobrem id, quod non civibus sanguinem emittunt, non probandum est. Ea non religio, immo vero is barbarus ritus est. Cf. 14 30 (in Britannia) praesidium impositum victis excisique luci saevis superstitionibus sacri: nam cruore captivo adolere aras . . . fas habebant.

superstitio: ergo non ‚religio'.

tamquam inde initia gentis: ergo incertum est, utrum inde initia Semnonum necne. — habitatur sc. ab iis.

efficitur (tantum), ut se caput Suevorum Semnones credant: ergo non efficitur, ut Semnones caput Suevorum sint.

40 contra Langobardos pauca (est Semnonum) nobilitas: nam Langobardi nulli genti, ergo ne Semnonibus quidem obsequuntur.

Re una dignitatem Semnonibus multae nationes demunt. Qua re? Fluminibus et silvis muniuntur; quantulum (c. 28) enim flumen quantulum silva obstat, cum alios in potestatem redigere cupis?

dicti dies cf. 11 27 praedicta die.

clausum . . . (refutatio): pax et quies tunc tantum vota, tantum amata; ergo falsum illud ‚non bella ineunt'; bellum, si cogerentur, inirent.

numen ipsum abluitur, si credere velis, equidem non credo.

aequos = quamquam aequi (iusti) sunt; quamobrem non est, cur in eos gravius consulatur.

ignorantia, quid sit illud, quod tantum per initia (= mysteria, sacra) vident. Solus sacerdos et soli illi servi intellegunt, quid in illo vehiculo vestibus tegatur; ergo verum dixi, si dixi illas nationes Terram matrem intervenire rebus hominum arbitrari.

41 non concupiscentibus: ergo falsum illud ‚transierint.'

nunc tantum auditur: ergo nunc non multum notum est.

42 fides — parta: praecipua Marc. gloria viresque; fides ex eo trahitur, quod Boios pepulerunt.

quatenus — peragitur (limes Romanus): non a toto limite Romano. — et externos patiuntur: ergo falsum illud ‚ex gente ipsorum.' — Si vis, illi sententiae ‚reges manserunt' addam: ‚et potentia . . .' — raro . . . : illud ‚ex auctoritate', cuius vis multiplex est, definitur.

nec minus valent: sc. quam si armis nostris iuvarentur.

43 Retro sc. eamus (a fronte Germaniae). — et quod — patiuntur: Tac. aliud argumentum affert.

Apud Nahavernalos . . . : Cum Tac. valentissimas earum civitatum, in quas nomen Lygiorum diffusum sit, nominasse suffecturum iudicaverit, adversarius nonnulla, quae apud eos reperiantur, memoranda putat.

ipsaque = vincuntur: ergo falsum illud, Harios ad proelia atras noctes legere; si atras noctes ad proelia legerent, quid nigra scuta, quid tincta corpora prodessent? atra nocte nihil videas. — legionibus alis = et pedestribus et equestribus viribus.

et erga reges obsequium: non tantum Gothones, sed etiam Rugii et Lemovii regibus obsequuntur (!).

44 nec . . . : forma navium et aliis rebus (a navibus Romanorum) differt. — ut in quibusdam fluminum (Germaniae): ergo falsum illud ‚Suiones uni classibus valent.' — nisi . . . : ergo falsum illud ‚nullis exceptionibus'. Est una exceptio: rex precari potest, ut populus imperet; se parere paratum esse.

otio porrecto — est: Tac. diligentius explicat, cur servus armis praeponatur. Cf. 13 54 continuo exercituum otio.

45 illuc usque et fama (loquitur): mari pigro atque immoto cingi claudique terrarum orbem — hebetet; qui persuasio illud ‚Sonum — aspici' adicere potest? — vera tantum natura (est): ultra penitus naturam quemquam nosse nego. — Ergo: cf. 22. — adumbrata: non vera, opinata. — quibus — propior: Tac. ab illa controversia digressus aliam movet: Aestios quamquam dextro Suevici maris litore habitent, non esse Germanos; esse enim linguam eorum Britannicae propiorem. Cf. 43. ‚Gothinos Gallica, Osos Pannonica lingua coarguit non esse Germanos' (quae adversarius dixit).

rarus . . .] ergo falsum illud ‚id pro armis'.

glaesum vocant: sucinum vocab. Romanum est. — inter vada atque in litore legunt: ergo emendes illud ‚mare scrutantur.' — in proprio litore: ergo falsum illud ‚soli omnium, sucinum quibus (sit)'; et alii quidem sucinum habent, sed in alieno litore lectum aut ab illis mercati.

informe profertur: ‚informis' a voc. ‚rudis' differre satis constat.

pretium accipiunt: ergo falsum illud ‚ipsis in nullo usu.'

atenim mox lentescit (ironice): sucinum si mox in picem resinamve lentescit, qui flammam alere potest?

in tantum degenerant: Num paulum (= asse uno) differunt, quod femina dominatur? Immo vero ea re pernimium et a liberis

et a servis differunt. Cf. 12 40 accensi hostes stimulante ignominia, ne feminae imperio subderentur.

46 Sordes — torpor: Tu sermonis, cultus, domiciliorum rationem habuisti; non habuisti sordis aut torporis: an haec nullo numero putanda? Si quis sordem ac torporem Peucinorum respexerit, unum, conubiis eos mixtos, pro certo esse non negabit. — Conubiis mixti: id ab iudiciis tuis (c. 2, c. 4) abhorret.

nonnihil — foedantur: Illud ab iudiciis meis abhorrere videtur; non abhorrebit, si illud ‚minime', si illud ‚aliis aliarum' consideraveris. Hoc ab iudicio, adversarie, tuo (c. 4 Habitus corporis omnibus idem) sane abhorret.

in plaustro — viventibus = plaustra vicem domorum apud Venetos implent, Veneti equitum usu gaudent.

in sagittis species: ergo falsum illud ‚non arma', falsum illud ‚mira feritas'.

idem venatus . . . : ergo falsum illud ‚victui herba'.

nec aliud . . . ergo falsa illa ‚non penates', ‚cubile humus'.

securi — esset: ergo falsum illud ‚foeda paupertas'; nam si cui, qui assem ignorat, ne noto quidem asse opus esset, is num foede pauper est? — Rem difficillimam: acc. excl.; cf. 18 Dotem! — noto = si notus esset.

quae sc. Cetera. — incompertum sc. illud ‚Hellusios — gerere'.

Legas c. 29 O-mnium.

Legas: G 5 9: nec tamen affirmaverim
23 Potui
26 Fenus
pag. 26 v. 32: cum apud Romanos

DUE JAN 11 1930

Lt 1.499
De origine ritu et moribus Germanor
Widener Library 006995212
3 2044 085 234 722